



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Sacrum Misericordiae Palatium

Variis Sacrae-Scripturae Locis, Atque Septem misericordiae operibus quasi
peristromatibus exornatum


Gazaeus, Nicolaus

Augustae Trevirorum, 1618

Qvod Deus, Natvra, Et Sancti Nos Ad Captivorum Miserationem propellant.
Capvt LX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54459)

orantes Dominum pro redemptione captiuorum, præcipuè eorum qui peccatorum nexibus innodati sunt, vt soluti agètes gratias dicere possint: *Dirupisti Domine vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis.*



QVOD DEVS, NATV-
RA, ET SANCTI NOS AD
CAPTIVORVM MISERATIO-
nem propellant.

CAPVT LX.

PLurima sunt (confratres) quæ vos ad huius operis amplexû mouere possunt.

Primum: Deus qui à Mundi primordio captiuorû semper misertus fuit, vt frequè-
tissimis sacræ scripturæ patet testimonijs, Ioseph venundatus fuit Ismaelitis, & vt mancipium duct⁹ in Ægyptum. Ab hinc in *Genes. 39^a* carcerem proditoriè & instigante vxoris Putipharis malitia detrusus fuit. Quo cum degeret in loco: *fuit* (inquit scriptura) *Do-
minus cum Ioseph, & misertus est illius, & de-
dit illi gratiam in conspectu principis carce-
ris. Qui tradidit in manu illius vnuer-
sos vinctos qui in custodia tenebantur,
& quic-*

Et quicquid fiebat sub ipso erat: Nec nouerat aliquid cunctis ei creditis; Dominus enim erat cum illo, & omnia opera eius dirigebat.

Dan. 14.

Act. 12.

4. Reg. 22.

2. Paral. 33.

Babylonij Daniele miferant in lacum Leonum, sed Dominus obstruxit ora leonum, & misit Angelum qui Habacuc deferret in Babylonem, eripuitque eum de atroci crudelitate eorum. Petrus tenebatur in carcere, custodiebatur à militibus, attamen se à Domino liberatum fuisse fatetur. *Nescio verè quia Dominus misit Angelum suum, & eripuit me de manu Herodis &c.* Verum, obijciēt fortassis aliquis: Ij liberationem merebantur. Ioseph ob prerogatiuam castitatis quā nitebat, Daniel ob Innocentiam: Petrus ob dignitatem: Sed respondēs vobis sceleratissimum & impijssimum virum proponam, Regem nempe Manassē. Hic Prophetas trucidauit, Esaiam licet affinem medium secavit, stellas cœli adorauit, aras Baal construxit, cultum Dei euertit, denique malum egit in conspectu Domini: quid igitur præmij merebatur pro tot nefandis operibus? Dum tamen captiuus in Babylonem duceretur à Deo meruit exaudiri, libertate donatus est, & regno recepto peccatum agnouit, Deum verum confessus est, & eius mandata seruauit. Ex quib⁹ omnibus

nibus claret, quomodo Deus nos ad pietatem suo hortetur exemplo, cum ipse adeò in captiuos misericors & benignus extiterit.

Secundum quod ad huius operis amplexum promouet sunt Sanctorum virorum exempla, qui frequentissime incarceratis & captiuis opem tulerunt. D. Franciscus incarceratum virum iniustè, soluit, & libertati, ab hera rogatus eum restituit. Nemo est qui nesciat quanta D. Nicolaus erga captiuos operetur miracula. Quæ quidem omitto, quoniam experientia nos eorum quotidie certiores facit. Nobilis quidam volens domesticis suis incutere timorem, catenam ponderis immèsi ab altissima turre propendere voluit, cui, qui affixi, erant, calori solis in æstate, inclementiæque aëris in hyeme exponebantur. Die quadam vir D. Leonardo admodum deuotus, illi iniustè appensus fuit, in quâ dum adeò comprimeretur vt nequidem loqui posset, Sancti illius opem obnixè implorauit. Adfuit subito vir Sanctus in vestibus albis illumque alloquens: erige te inquit & hanc catenam in Ecclesiam nomini meo consecratam in vico Nobiliaco, defer, Nullus enim amodo illa torquebitur. Miles quidam in prælio capti-

Bon. in vit.

In legenda.

Surius in vit.

Sancti Leonard. 6. Nou.

captiuatus, & carceribus addictus donec
 multam solueret, non habens unde illi sa-
 tisfacere posset Sanctam Magdalenam pie
 inuocauit, rogans, vt quemadmodus Chri-
 stus vincula suorum diruperat peccatoru:
 ita compedes soluere dignaretur. Cum sa-
 pe id exposceret subito vincula collabun-
 tur, & liber inde egreditur.

Tertium: est ipsa natura quæ libertatem
 semper appetit: Videmus siquidem auicu-
 las aureis licet inclusæ sint ædiculis semper
 exitum & libertatem nisibus exposcere.
 Quod considerantes pagani plurimi solo
 naturæ lumine illustrati hostes captiuare
 vel crudeliter seruituti subdere noluerunt.
 Pyrrhus Rex Romanos quos captiuos ex
 prælio reduxerat sinè multa vel pretio li-
 bertati restituit: sicut etiam Alexandrum fe-
 cisse legimus. Dei itaque, Sanctorum, natu-
 ræque exemplis edocti, properate ò fratres
 ad carceres, vt captiuis succurratis, &
 pristinae libertati restituatis.

